



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsar| Scaligeri| Epistolæ| &| Orationes|**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Ivlivs Cæsar Scaliger Honorato Castellano Medico Regio. S. XLVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](#)

gratiis a me vel vnam literam accepisses: non propterea tui dissimilis factus es: quin admirabili pietate sarcires desperatam non iam valetudinem, sed, ut audio, vitam maximam natum liberorum nostrorum. Quia in re cum te illi patrem ostenderis, exhibueris, nihil mihi reliqui fecisti, quod in mea opera nulla positum sit, quin id omne tibi perpetuo debeatur. Tuus antea ita eram, ut meus quoque essem. Nunc ita meum sentio, ut & ipse & omnia mea in tua potestate atque auctoritate esse debeat. Opes, dignitatem, vitam ipsam meam tuo beneficio quaesita, comparata, parta, nusquam melius aut illustrius, quam in tua fide post hac collocata fore confido. Vale.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER  
HONORATO CASTELLANO  
*Medico Regio. s. XLVIII.*

CVM nullum genus officii, quod vel familiaribus salutationibus, vel dignitatis tuæ commendatione, ab occupatissimo viro præstari potuit, interimiserim: maximam cepi voluptatem, quod neque spe meipsum, neque alios iudicio meo felicissime video. Namque & speraram semper hanc meam animi

animi propensionem excitaturam te ad habendam erga me parem banevolentiam, & ubique prædicare consueueram, te ad perfectam rerum cognitionem, summam adiunxisse humanitatem. Quorum utrumque cum tuis elegantissimis atque suauissimis literis perspectum mihi sit, coactus sum eas amplecti tanquam testes tuū opinionis meā, tum benignitatis tuā, in quibus tam luculentam prædicationem nominis mei profitereris. Quas equidem laudes tametsi nequaquam in me agnosco, non potuit tamen non magnopere tanti viri iudicio commoueri vel animus ipse, ad eiusmodi gloriam expetendam, quā a nullo homine cordato contempta est, vel amor sapientiæ ad capiendum saltem desiderium earum disciplinarum, quas in me summas esse contendis. Sane cui fortunæ fæuitia aditum ad studia literarum vix procul ostendisset, pertinacissimus labor sero dare visus esset, satis mihi futurum existimabam, si spem ipsam modo non paterer euancescere, quā tantis opibus literariis immineret. Quamobrem multa mecum tentare ausus, per auxilla foris, nec nisi discendi caussa, idque sine villa vel professione vel asseueratione, & parce & pudice dare constitui. Nam quod

ais publica studia meis commentationibus  
iuuari posse , id profecto quantum olim te-  
mere discupiebam , tantum dissuadet nunc  
sux̄ conscius imbecillitatis animus meus, ac  
sine ratione concupiscam. Inconsiderate  
vero videbar mihi facturus , si in tanta stu-  
diorum meorum acerbitate quicquam ma-  
turum aut absolutum cuipiam pollicerer:  
præsertim cum tot tantorumque impræsen-  
tia extent hominum diuinorum ingenia, vi  
corum opera ad summam veritatis com-  
præhensionem nihil vel illis deesse, vel ab  
aliis addi posse videretur. Gratissimam ta-  
men, vt dicebam, scito mihi fuisse incitatio-  
nem tuam , ex qua posthac intelligam ma-  
iores mihi conatus habendos ad eam co-  
lendam diligentiam , sine qua tui dissimilis  
futurus sim. Quod vero scribis, te, si gratum  
fore mihi intelligas , frequentia literarum  
absentiam nostram leuiorem facturum , sa-  
ne velim tibi persuadeas , nihil mihi ut ho-  
norificientius , ita nec gratus posse contin-  
gere. Valc.

NICOLAO